Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36553
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

temporis exsolescere; Ultro me miserum antea uiciaui. spontaneo
me dudum studio pollui; Proprio me prius arbitrio perdidi. pro-
pria uoluntate me maculaui; Bonus eram. sponte ad peccatum
dilapsus sum; Liber eram. sponte mea factus sum debitor mortis;
Infelix ego. peccatum sponte mihi prius ipse paraui. ego prius occa-
sionē peccandi amplexus sum. nunc peccati usu adstrictus detineor.
Mala consuetudo me sibi grauiter implicauit; Longa consuetudo in me
ius sibi q̃ legem fecit. usus peccandi necessitatis uinculis me adstrinxit;
A delicto discedere uolo. nec ualeo. quero alapsu resurgere. q̃ non
ualeo usui repugnare. Trahor boni amore. retrahor malę consuetu-
dinis lege; Longus peccandi usus me superatum obtinuit. Peccatis
mea consuetudine duruerunt; Uolo agere bonum. sed desideria con-
sueta non sinunt; Consuetudine peccandi. quando nescio sic delinq̃.
peccati usum. quando non opto incurro; Prauo usui contra ire nitor.
sed carnis desiderio adgrauor; Ad iustitiam me amor erigit. sed ad
peccatorum consuetudo constringit Ratio Reluctata contra prauā
consuetudinē. contra consuetudinē peccandi tota uirtute repugna;
Vince usum carnalē q̃am cum dolore. quam uis cum dificultate. pni ci
osam consuetudinē uince. quam uis cum dolore. usui malo resiste;
Propone tibi aduersus presentis carnis ardorē. gehennę ardorem.
futuri supplicii ignis. superet. estum libidinis. Recordatio eterni
incendii. extinguat libidinis incendium; Memoria ardoris gehennę.
ardorē excludat luxurię; Fornicationis pęnam. metus grauioris sup-
plicii uincat; Fortior dolor. dolorem minorē exsuperat. Patienter
leuiora portabis. si grauiora fueris recordatus. Versetur q̃am ante
oculos tuos imago futuri iudicii; Preuide quę post modicum eris
passurus. futuram dī sententiam cogita. futura dī iudicia sup te for-
mida; Terreat te gehennę metus. terreat te futuri iudicii sententia.
reuocet te pęnarum terror a culpa; Vitę tuę cotidie terminum in
tuere. omni hora habeto mortē pre oculis. Ante oculos tuos tenebrarū
semp uersetur aduentus. de morte tua cotidie cogita. finē uitę tuę
semp considera. recole semp diem mortis incertum; Esto sollicitus. ne
subito rapiaris. Cotidie dies ultimus ad propinquat. uitam nostram